



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bernardini Scardaeonii Patauini Presbyteri de Castitate Libri Septem**

**Scardeone, Bernardino**

**Venetiis, 1542**

Matrimonium etiam in solum remedium incontinentiae decere cap. iii

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30433**

uero non duxerit pecunia mulctet, & afficiatur dedecore.  
Et propterea legitur eum ipsum Platonem quum ad ex-  
tremum uitæ diem castam, ac cœlibe uitam duxisset, sa-  
crificasse naturæ salacem gallum gallinæcum: quasi eo  
sacrificio placaretur sibi natura, quam uiolasse sua ipse  
continentia uidebatur. Ridicule sane factum: tamen  
quis hoc neget à sapiente factum, etiam si minus sa-  
pienter sit, quum id ipsum a Platone factum fuisset in-  
tellexerit.

Matrimonium etiam in solum remedium incontĩ-  
nentiæ decere. Cap. III.

**E**T si constat, ut pauloante dicebã matrimoniorum  
causam primam atque præcipuam esse debere sus-  
cipiendæ prolis desiderium: ueruntamen neque  
his quoque qui generare desperant, nuptiarum solatia  
sunt neganda: ut uel eo saltem remedio libidinis pe-  
tulantia reprimatur: et fornicationis uitium, nomenque  
pariter fugiatur. Facile enim posset dum licite nequi-  
ret homo uti muliere uel lasciuiæ carnalis impulsus, ad  
libidines illicitas, & ad spurcitiâs carnis delabi. Quam  
ob rem licet prolis causa matrimonium constitutum sit:  
tamen ubi etiam nulla spes prolis fuerit si ugens inter-  
rim libido suadeat, & periculum aliquod fornicationis  
immineat, non est quod quis illud contemnendum pu-  
tet. Ait enim Apostolus ad Corinth. Propter forni-  
cationem autem unusquisque uxorem suam habeat. 1 Cor. 7  
Probe sane. Nam sicut matrimonium firmissima  
in posteritatis columem solet esse foecundis: sic in fe-  
cundis tutissimum profugium incontinentiæ: ut quis  
que interim licite se uenerea uti, & ex plere libidis-  
nem absque noxa libidinis ualeat, quatenus id legitime  
faciat: neque obstet præterea quicquam quo mi-

## DE PVDICITIA MATRIMONII.

1 Cor. 7. nus honeste riteq; perficiatur. Scriptum est enim lōge melius esse nubere, q̄ uri: et Qui duxit uxorem non peccauit. Tollenda ergo fuit omnis occasio fornicationis: & lasciuia senum quoquomodo nuptialibus pedicis constringenda: quando nec ratione tranquillitatis, nec uitæ melioris gratia eis suaderi possit, meliorem esse matrimonio cœlibatum. Quomodo autem uxor eiusmodi, & si re uera sit uxor, appelletur tamen alicubi in sacris literis concubina, q̄ tantummodo concubitus causa ducta sit, satis diffuse superius dictum est libro secundo.

Valde esse naturæ consentaneum homines matrimonio copulari. Cap. IIII.

**M**Vnus etenim matrimonii, quod attinet ad maris, foeminaeque consortium, adeo naturale est, ut etiam uolucres penè omnes faciant matrimonia ita ut nullus sit tam rapax miluus, aut tam solitarius accipiter, qui non coniugium appetat, & nidum cogerat: ubi tanquam in geniali toro concordii animo cum sua pari, quasi cum sua matre familias, in vitam diu coniugii societatem retineant. Ibi namque ova simul confouent, foetus educant, atque ab omni iniuria, quatenus illis licet, pari cura studioque tuentur. Fertur etiam Aethneus piscis, ubi specielem suam foeminam tanquam coniugem semel agnouerit, alias omnes solitus esse intactas relinquere, & illi soli tantum uacare, uelut coniugii inuptiarumque foedere iunctus. At quanto ad id pronior est homo: qui suo opte ingenio & studia societatis arctius complectitur, & natura ad matrimonium propensus inclinatur. Socialis quidem est, & ideo ceteris animantibus ad societatem sua ipsius natura procliuior. Verum præcipua, & prima societas hominum esse uidetur, ut uir foeminae, & foemina uiro ante omnia, et in primis matrimonii societate iungatur. Quod ubi ex sententia utriusque succedere contingit: optimum sane præcipuum